

quando aeternitatem : quia aeternum duobus modis intelligitur. Usque in aeternum, id est, aut semper sine fine, aut quousque veniamus ad aeternitatem. Hic ergo quomodo intelligendum est? Quousque veniamus ad aeternitatem, speremus in Dominum Deum : quia cum venerimus ad aeternitatem, jam spes non erit, sed ipsa res erit.

ENARRATIO

IN PSALMUM CXXXI.

Sermo ad plebem.

I. **I**ustum quidem erat, charissimi, ut fratrem potius audiremus collegam meum (10), praesentem omnibus nobis. Et modo non negavit, sed distulit. Et ideo hoc indico Charitati Vestrae, ut mecum promissum teneatis. Non fuit autem absurdum Charitati Vestrae, ut prior obtemperarem jubenti. Extorsit enim mihi ut esset modo auditor meus, eo sane pacto ut et ego sim ipsius : quia in ipsa charitate omnes ejus auditores sumus, qui unus nobis in caelo Magister est¹. Ergo animum intendite ad Psalmum, quem in ordine, sicut nostis, tractandum habemus. Est etiam ipse praenotatus, « Canticum graduum : » et aliquanto caeteris sub eodem titulo prolixior. Non ergo immoremur, nisi ubi necessitas coegerit ; ut totum, si Dominus permiserit, explicare possimus. Quia et vos non tanquam rudes omnia debetis audire, aliquid et de praeteritis auditionibus adjuvare nos

¹ Matth. xxii, 10.

debetis, ne omnia tanquam nova a nobis dici necesse sit. Et novi quidem esse debemus, quia vetustas nobis obrepere non debet ; sed etiam crescendum et proficiendum est. De ipso quippe profectu ait Apostolus : « Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur » de die in diem¹. » Non sic proficiamus ut ex novis veteres efficiamur, sed ipsa novitas crescat.

II. « Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob². » David secundum fidem rerum gestarum unus homo erat, rex Israël, filius Jesse. Erat quidem et ipse mansuetus, sicut eum indicat atque commendat Scriptura divina, et ita mansuetus ut nec persecutori suo Saül malum pro malo reddiderit³. Servavit autem erga eum tantam humilitatem, ut illum regem fateretur, se autem canem. Et non proterve, nec superbe, cum esset in Deo potentior, respondebat regi : sed eum placare potius affectabat humilitate, quam concitare superbia. Etiam in potestate datus est ei Saül, et hoc a Domino Deo, ut ei faceret quidquid vellet. Sed quia non praecipuum illi erat ut occideret, sed tantum in potestate datus illi erat, (licet autem homini uti potestate sua ;) ad lenitatem potius deflexit quod ei Deus concessit. Qui si vellet occidere, careret inimico, sed quomodo diceret : « Dimitte mihi debita, sicut et ego dimitto debitoribus meis⁴ ? » In speluncam intravit Saül ubi erat David, nesciens quod illic esset David⁵ : ad necessaria ventris ille intravit. Surrexit David sensim et lente post ipsum, praecidit illi de veste panniculum, quem illi ostenderet, ut nosset quia illum habuerat in potestate ; et non necessitate, sed voluntate pepercerat, et noluit occidere. Forte ipsam mansuetudi-

¹ 2 Cor. iv, 16. — ² Psal. cxxxii, 1, 2. — ³ 1 Reg. xxiv, 4, etc. — ⁴ Matth. vi, 12. — ⁵ 1 Reg. xxiv, 4.

nem commendavit modo dicens : « Memento, Domine, » David, et omnis mansuetudinis ejus. » Hoc secundum rerum gestarum fidem, quam Scriptura divina, ut diximus, continet. Sed solemus in Psalmis non ad litteram attendere, sicut in omni prophetia, sed per litteram scrutari mysteria. Et meminit Charitas Vestra, quia cujusdam hominis vocem in omnibus Psalmis solemus audire : qui unus habet caput et corpus. Caput autem in caelo est, corpus in terra. Sed quo praecessit caput, et corpus secuturum est. Et jam non dico quis caput sit, qui corpus sint : quia scientibus loquor.

III. Commendatur ergo humilitas David, commendatur mansuetudo David; et dicitur Deo: « Memento, Domine, » David, et omnis mansuetudinis ejus. » Ad quam rem « Memento, Domine, David? Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob. » Ergo ad hoc memento, ut impleat quod promisit. Ipse David vovit tanquam in potestate habens, et rogat Deum ut impleat quod vovit. Est devotio voventis, sed est humilitas deprecantis. Nemo praesumat viribus suis se reddere quod voverit. Qui te hortatur ut voveas, ipse adjuvat ut reddas. Quid ergo vovit videamus, et hinc intelligimus quemadmodum sit accipiendus in figura David. David autem interpretatur, manu fortis. Erat enim magnus belligerator. Praesumens quidem de Domino Deo suo, confecit bella omnia, prostravit omnes inimicos suos, Deo se adjuvante, quemadmodum se habebat illius imperii dispensatio: praefigurans tamen fortem manu quemdam ad debellandos inimicos, diabolum et angelos ejus. Hos autem inimicos Ecclesia debellat. Et quomodo debellat? Mansuetudine. Mansuetudine enim ipse rex noster vicit diabolum. Saeviebat ille, iste sufferebat. Victus est qui saeviebat, vicit qui sufferebat. In ista mansuetudine corpus Christi, quod est Ecclesia, vin-

cit inimicos. Sit manu fortis, operando vincat. Cum autem corpus Christi est et templum, et domus, et civitas: et ille qui caput corporis est, et habitator domus est, et sanctificator templi est, et rex civitatis est. Quomodo Ecclesia omnia illa, sic Christus omnia ista. Quid ergo vovimus Deo, nisi ut simus templum Dei? Nihil gratius ei possumus offerre, quam ut dicamus ei quod dicitur in Isaia: « Posside nos¹. » Et quidem in istis possessionibus terrenis patrifamilias praestatur, quando ei datur possessio: non sic est possessio quae est Ecclesia: ipsi possessioni praestatur, ut a tali possideatur.

IV. Quid ergo dicit: « Sicut juravit Domino, votum » vovit Deo Jacob. » Videamus, quod votum. Jurare est autem firme promittere. Attendite votum hoc, id est, quod voverat quo ardore voverit, quo amore, quo desiderio: et tamen ad hoc implendum Dominum deprecatus est dicens: « Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. » In hac mansuetudine votum vovit, ut sit domus Dei: « Si introiero in tabernaculum domus » meae, si ascendero super lectum stratus mei. Si dedero » somnum oculis meis. » Parum visus est dicere: « Somnum oculis meis. Et palpebris meis dormitationem, Et » requiem temporibus meis » si dedero, « Quoad usque » inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob². » Ubi quaerebat locum Domino? si mansuetus erat, in se quaerebat. Quomodo est enim locus Domini? Audi Prophetam: « Super quem requiescet Spiritus meus? Super » humilem, et quietum, et trementem verba mea³. » Vis esse locus Domini? Esto humilis, et quietus, et tremens verba Dei, et tu ipse efficiaris quod quaeris. Si enim in te non fiat quod quaeris, in altero quid tibi prodest? Operatur quidem Deus aliquando per Evangelistam salutem al-

¹ Isai. xxvi, 13. — ² Psal. cxxxii, 3-5. — ³ Isai. lxvi, 2.

terius tantum, si ipse dicit et non facit: et fit per linguam ejus in alio locus Domino, non autem fit ipse locus Domino. Qui autem quæ docet bene facit, et sic docet, fit locus Domino cum eo quem docet; quia omnes credentes unum locum faciunt Domino. In corde enim habet locum Dominus: quia unum cor est omnium in charitate copulatorum.

V. Quam multa millia crediderunt, fratres mei, quando pretia rerum suarum posuerunt ad pedes Apostolorum¹. Sed quid de illis dicit Scriptura? Certe facti sunt templum Dei; non tantum templum Dei singuli, sed et omnes templum Dei simul. Facti sunt ergo locus Domino. Et ut noveritis quia unus locus factus est Domino in omnibus, Scriptura dicit, « Erat illis anima una et cor » unum in Deum². » Multi autem ne faciant locum Domino, sua quærunt, sua diligunt, potestate sua gaudent, privatam suam concupiscunt. Qui autem vult facere locum Domino, non de privato, sed de communi debet gaudere. Hoc illi fecerunt de rebus suis privatis, fecerunt illas communes. Quod habebant suum, numquid amiserunt? Si soli haberent, et unusquisque suum haberet; hoc solum haberet, quod suum habebat: cum autem quod proprium erat, commune fecit; et ea quæ erat cæterorum, ipsius facta sunt. Intendat Charitas vestra. Quia propter illa quæ singuli possidemus, existunt lites, inimicitiae, discordiæ, bella inter homines, tumultus, dissentiones adversum se, scandala, peccata, iniquitates, homicidia. Propter quæ? Propter ipsa quæ singuli possidemus. Numquid propter ista quæ communiter possidemus, litigamus? Aërem istum communiter ducimus, solem communiter omnes videmus. Beati ergo qui sic faciunt locum Domino, ut privato suo non gaudeant. Talem ergo describebat

¹ Act. iv, 35. — ² Ibid. 32.

iste, qui dicebat, « Si introiero in tabernaculum domus » meæ. » Privatum hoc erat. Sciebat privato se impediri, ne faceret locum Domino, et ea commemorat quæ ad se ipsum pertinebant. « Non introibo in tabernaculum domus meæ, donec inveniam? » quid cum inveneris locum Domino, intrabis in tabernaculum tuum? An ipsum erit tabernaculum tuum, ubi inveneris locum Domino? Quare? Quia ipse eris locus Domini, et cum eis qui fuerint locus Domini, unum eris.

VI. Abstineamus ergo nos, fratres, a possessione rei privatæ; aut ab amore, si non possumus a possessione; et facimus locum Domino. Multum est ad me, ait aliquis. Sed vide quis sis facturus locum Domino. Si vellet apud te hospitium habere aliquis senator, non dico senator, procurator alicujus magni secundum sæculum, et diceret, Offendit me quiddam in domo tua: etsi amares hoc, auferres tamen ne eum offenderes, ad cujus amicitiam ambires. Et quid tibi prodest hominis amicitia? Forte ibi non solum nullum auxilium, sed et periculum invenires. Nam multi non periclitabantur antequam majoribus jungerentur: exoptarunt majorum amicitias, ut majora pericula incurrerent. Securus opta amicitiam Christi. Hospitari apud te vult, fac illi locum. Quid est, Fac illi locum? Noli amare te ipsum, illum ama. Si te amaveris, claudis contra illum: si ipsum amaveris, aperis illi. Si autem aperueris et intraverit, non peries amando te, sed invenieris cum amante te.

VII. « Si introiero in tabernaculum domus meæ, si » ascendero super lectum stratus mei. » Privata enim res ipsa, ubi homo acquiescit, superbos facit: ideo dixit, « Si ascendero. » In re, quam privatam quisque possidet, necesse est superbus sit. Inde se enim tendit homo ad hominem, cum ambo sint caro. Quid est homo, fratres?

Caro. Et quid est alter homo? Altera caro. Et tamen caro dives extendit se contra carnem pauperem; quasi aliquid illa caro attulerit quando nata est, aut aliquid auferat quando moritur. Ad hoc plus habuit, ut plus tumeret. Iste autem qui vult invenire locum Domino, dicit, « Si » ascendero super lectum strati mei.

VIII. « Si dederò somnum oculis meis. » Multi enim, cum dormiunt, non faciunt locum Domino. Tales excitat Apostolus: « Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et » illuminabit te Christus¹. » Et alio loco, « Nos autem » qui diei sumus, vigilemus, et sobrii simus: nam qui » dormiunt, nocte dormiunt; et qui inebriantur, nocte » ebrii sunt². » Noctem dicens iniquitatem, in qua illi obdormiunt cupiendo ista terrena. Et omnes istæ felicitates quæ videntur sæculi, somnia sunt dormientium. Et quomodo qui videt thesauros in somnis, dormiens dives est; sed evigilabit, et pauper erit: sic omnia ista vana hujus sæculi, de quibus homines gaudent, in somno gaudent: evigilabunt quando nolunt, si non modo evigilant quando utile est; et invenient somnia fuisse illa, et transisse, sicut dicit Scriptura, « Veluti somnium exurgentis. » Et alio loco, « Dormierunt somnum suum, et nihil inveni- » nerunt omnes viri divitiarum in manibus suis³. Dormie- » runt somnum suum, finitus est somnus, et nihil inveni- » nerunt in manibus suis; » quia in somnis videbant divitias transitorias. Iste ergo qui vult invenire locum Domino, dixit etiam, « Si dederò somnum oculis meis. » Sunt autem quidam qui non dormiunt, sed dormitant. Aliquantum retrahunt se ab amore temporalium, et rursus revolvuntur in eum; quasi dormitantes, caput crebro inclinant. Evigila, excute somnum; dormitando casurus es. Non vult Psalmus, oculis suis dare somnum, nec palpe-

¹ Ephes. v, 14. — ² 1 Thess. v, 5, etc. — ³ Psal. lxxii, 20.

bris dormitationem, eum qui vult invenire locum Domino.

IX. « Et requiem, inquit, temporibus meis. » A requie temporum somnus venit ad oculos. Tempora circa oculos sunt. Veluti futurus somnus, gravedo temporum est. Nam hominibus dormituris gravari tempora incipiunt; et cum senserint sibi gravari tempora, jam imminet somnus: qui si dandus est oculis, dant requiem temporibus suis, et venit somnus; si non dederint requiem temporibus suis, non venit somnus. Cum ergo cœperit te aliquid temporale delectare ad peccatum, jam gravantur tibi tempora. Vis evigilare, et non dormire, nec dormitare? Noli te credere tali delectationi: majores dolores habebit quam suavitates. Ista cogitatione quasi confricans frontem, excutis somnum, et paras locum Domino.

X. « Donec inveniam locum Domino, tabernaculum » Deo Jacob. » Quanquam aliquando dicitur tabernaculum Dei domus Dei, et domus Dei tabernaculum Dei: distinctius tamen accipitur, fratres charissimi, tabernaculum Ecclesia secundum hoc tempus; domus autem Ecclesia coelestis Jerusalem; quo ibimus. Tabernaculum enim tanquam militantium et pignantium; tabernacula militum in procinctu, in expeditione; unde contubernales dicuntur milites, quasi tabernacula eadem habentes et habitantes. Quandiu ergo habemus hostem cum quo pugnemus, tabernaculum Deo facimus. Cum autem transierit tempus pugnae, et venerit pax illa quæ præcellit omnem intellectum, sicut dicit Apostolus, « Et » pax Christi quæ præcellit omnem intellectum¹; » quantumcumque enim cogitaveris de pace illa, minus eam capit animus adhuc in ista corporis gravedine constitutus: cum venerit illa patria, jam domus erit, nullus adversarius tentabit, ut tabernaculum vocetur. Non pro-

¹ Philip. iv, 7.

cedemus ad pugnandum, sed permanebimus ad laudandum. Quid enim dicitur de illa domo? « Beati qui habitant » in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te¹. » In tabernaculo adhuc gemimus, in domo laudabimus. Quare? Quia gemitus est peregrinantium, laudatio jam in patria commanentium. Hic primo quæraturn tabernaculum Deo Jacob.

XI. « Ecce audivimus eam in Ephrata. » Quam « Eam? » Sedem Domini. « Audivimus in Ephrata. Invenimus eam » in campis saltuum². » Ibi audivit, ubi invenit: an alibi audivit, et alibi invenit? Quæramus ergo quid sit « Ephrata, » ubi audivit: item quæramus quid sit « In campis saltuum, » ubi invenit. Ephrata verbum hebræum, interpretatur latine speculum, sicut tradiderunt qui verba hebræa in Scripturis posita in aliam linguam transtulerunt, ut ad nos perveniret intellectus. Nam ex hebræa transtulerunt in græcam, et ex græca translata sunt nobis in latinam. Fuerunt enim qui vigilarent in Scripturis. Si ergo Ephrata speculum, illa domus quæ inventa est in campis saltuum, in speculo audita est. Speculum imaginem habet. Omnis prophetia imago futurorum. Domus ergo Dei futura, in imagine prophetiæ prædicata est. Audivimus enim illam in speculo, id est, « Audivimus in Ephrata. Invenimus in » campis saltuum. » Qui sunt campi saltuum? Campi sylvarum. Non enim quemadmodum vulgo dicitur, Saltus ille, verbi gratia, centurias habens tot. Saltus proprie, locus adhuc incultus et sylvester dicitur. Nam et quidam codices « In campis sylvæ » habent. Qui ergo erant campi saltuum, nisi gentes incultæ? Qui erant campi saltuum, nisi tibi adhuc vepres erant idololatriæ? Sic tamen quomodo vepres ibi erant idololatriæ, ibi invenimus locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Quod « Audivimus in

¹ Psal. LXXXIII, 5. — ² Id. CXXXI, 6.

» Ephrata, invenimus in campis saltuum: » quod prædicatum est in imagine Judæis, manifestatum est in fide Gentium.

XII. « Intrabimus in tabernacula ejus¹. » Cujus Domini Dei Jacob. Qui intrant ut inhabitent, ipsi sunt qui intrant ut inhabitentur. In domum tuam ut inhabites intras, in domum Dei ut inhabiteris. Est enim melior Dominus, qui cum te cœperit inhabitare, beatum te faciet. Nam si tu ab illo non inhabiteris, miser eris. In sua potestate esse voluit ille filius, qui dixit, « Da mihi partem » patrimonii quæ me tangit². » Bene servabatur apud patrem, ne cum meretricibus dissiparetur. Accepit, facta est in ejus potestate: profectus in regionem longinquam, effudit omnia cum meretricibus. Passus est tandem famem, recordatus est patrem, reversus est, ut pane saturaretur. Ergo intra, ut inhabiteris; et non quasi tuus sis, sed illius. « Intrabimus in tabernacula ejus. »

XIII. « Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. » Cujus pedes? Domini, an ipsius domus Domini? Domus enim Domini est, ubi dicit quia debet adorari. « Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. » Præterquam domum suam, non exaudit Deus ad vitam æternam. Ille enim ad domum Dei pertinet, qui est in charitate compaginatus lapidibus vivis. Qui autem charitatem non habuerit, ruinam facit: et illo ruente, domus stat. Nemo enim minetur domui, ubi esse quasi lapis cœpit, si ruere voluerit, quasi aliquid domui noceat. Sic enim superbierrat et primus populus Judæorum, dicens, Neque enim fraudaturus est Deus patrem Abraham, cui promisit tanta de semine ejus et faciebant omnia mala tanquam securi de pollicitatione Dei, quod non pro illorum meritis qui scelera faciebant, sed pro meritis Abrahæ parceret eis,

¹ Psal. CXXXI, 7. — ² Luc. XV, 12.

et qualescumque malos filios Abrahæ congregaret in domum suam ad vitam æternam. Sed quid Joannes? « Gene- » ratio, inquit, viperarum¹. » Quando ad illum venerunt ipsi filii Abrahæ, ut baptizarentur in aqua pœnitentiæ, non eis dixit, Generatio Abrahæ, sed, viperarum. Tales enim erant, quales quos imitabantur: non filii Abrahæ, sed filii Amorrhæi, Chananæi, Gergesæi, Jebusæi, et omnium qui offenderunt Deum. Ipsorum filii erant, quia ipsorum facta sectabantur. « Generatio viperarum, quis » ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fruc- » tum dignum pœnitentiæ. Et ne dixeritis, Patrem habe- » mus Abraham. Potens est enim Deus de lapidibus istis » suscitare filios Abrahæ². » Nescio quos lapides tunc videbat in campis saltuum, unde suscitati sunt filii Abrahæ. Filii enim magis qui fidem imitati sunt, quam qui de carne nati sunt. Nemo ergo minetur domui Dei, quasi dicat, Subtraho me, et ruet domus. Bonum est enim illi ut cœdificetur, et habeat charitatem. Nam si ipse ruerit, stabit domus. Itaque, fratres, in his est domus Dei, quos prædestinavit et præcivit perseveraturos. De illis dictum est, « Ubi steterunt pedes ejus. » Sunt enim qui non perseverant, nec stant pedes ejus in eis. Non sunt ergo ipsi Ecclesia: non ipsi pertinent ad illud modo tabernaculum, tunc domum. Sed ubi steterunt pedes ejus? « Quoniam » abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum³. » In his in quibus charitas refrigescit, non stant pedes ejus. Sed quid secutus est? « Qui autem perseveraverit usque » in finem, hic salvus erit⁴. Ecce in quibus steterunt pedes ejus: in eo loco adora, id est, de talibus esto in quibus steterunt pedes Domini.

XIV. Si autem de ipsa domo intelligere volueris, « Ubi » steterunt pedes ejus » domus: pedes tui in Christo stent.

¹ Matth. iii, 7. — ² Ibid. 8, 9. — ³ Id. xxiv, 12. — ⁴ Ibid. 13.

Tunc autem stabunt pedes, si perseveraveris in Christo. Quid enim dicitur de diabolo? « Ille homicida erat ab ini- » tio, et in veritate non stetit¹. » Diaboli ergo pedes non steterunt. Item de superbis quid dicit? « Non veniat mihi » pes superbiæ, et manus peccatorum non moveat me. » Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, » nec potuerunt stare². » Ergo domus Dei, cujus pedes stant. Unde ille gaudens Joannes quid ait? « Qui habet » sponsam sponsus est, amicus autem sponsi stat et audit » eum. Si non stat, non audit eum. Et gaudio gaudet » propter vocem sponsi³. » Merito stat, quia propter vo- cem sponsi gaudet. Nam si propter vocem suam gaude- ret, caderet. Jam videtis ergo quare ceciderint, qui ad vocem suam gaudent. Amicus enim ille sponsi dicebat, « Hic est qui baptizat⁴. » Quidam dicunt, Nos baptiza- mus. Ad vocem suam gavisus stare non potuerunt: et non pertinent ad istam domum, de qua dicitur, « Ubi stete- » runt pedes ejus. »

XV. « Exurge, Domine, in requiem tuam⁵. » Domino dormienti dicit, « Exurge. » Jam nostis quis dormivit, et quis resurrexit. Ipse enim quodam loco dicit in Psalmo, « Dormivi conturbatus⁶. » Bene illi dicitur, « Exurge, » Domine, in requiem tuam. » Jam non conturbaberis: » Quia Christus surgens a mortuis, jam non moritur, » et mors ei ultra non dominabitur⁷. » Ipsius est vox in alio Psalmo: « Ego dormivi et somnum cœpi, et exur- » rexi, quoniam Dominus suscipiet me⁸. » Ipse dormivit, ipsi dicitur, « Exurge, Domine, in requiem tuam, tu et » arca sanctificationis tuæ. » Id est, Exurge, ut exurgat et arca sanctificationis tuæ, quam sanctificasti. Ipse caput nostrum; arca ejus, Ecclesia ejus: surrexit prior, surget

¹ Joan. viii, 44. — ² Psal. xxxv, 12, 13. — ³ Joan. iii, 29. — ⁴ Ibid. 26. — ⁵ Psal. cxxxii, 8. — ⁶ Id. lvi, 5. — ⁷ Rom. vi, 9. — ⁸ Psal. iii, 6.

et Ecclesia. Non autem auderet sibi surrectionem corpus promittere, nisi prius resurgeret caput. « Exurge, Domine, » in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. » Et corpus Christi quod ex Maria natum est, intellectum est a quibusdam arca sanctificationis : ut hoc diceret, « Exurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ ; » Cum corpore exurge, ut palpent qui non credebant. « Exurge, Domine, in requiem tuam, tu et » arca sanctificationis tuæ. »

XVI. « Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti » tui lætentur¹. » Te exurgente a mortuis, et eunte ad Patrem, « Regale illud sacerdotium induatur fidem ; quia, » Justus ex fide vivit² : » et accepto pignore Spiritus sancti, lætentur membra spe resurrectionis, quæ præcessit in capite. Eis enim Apostolus dicit, « Spe gaudentes³. »

XVII. « Propter David servum tuum, ne avertas faciem » Christi tui⁴. » Hoc Deo Patri dictum est, « Propter David servum tuum, ne avertas faciem Christi tui. » Crucifixus est Dominus in Judæa ; crucifixus est a Judæis ; ab ipsis turbatus dormivit. Inter quorum sævientium manus dormivit, ad eos judicandos surrexit : et dicit quodam loco : « Et suscita me, et reddam illis⁵. » Et reddidit, et redditurus est. Nam quanta postea Judæi passi sunt occiso Domino norunt ipsi. De ipsa civitate, ubi illum occiderunt, omnes expulsi sunt. Quid ergo, etiam de stirpe David omnes perierunt, et de tribu Juda ? Non : nam crediderunt inde aliqui, et multa millia hominum crediderunt inde, et hoc jam post resurrectionem Domini. Sævierunt, ut crucifigerent, et postea cœperunt videre fieri miracula in nomine Crucifixi ; et plus contremuerunt tantum posse ejus nomen, qui quasi inter manus eorum nihil poterat ;

¹ Psal. cxxxv, 9. — ² Rom. 1, 17. — ³ Id. xii, 12. — ⁴ Psal. cxxxv, 10. — ⁵ Id. xl, 11.

et compuncti corde jam credentes Divinitatem occultam fuisse in illo¹, quem cæteris similem hominibus putaverunt, et consilium petentes ab Apostolis, audierunt, « Agite » pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in » nomine Domini nostri Jesu Christi². » Ergo quia ad judicandos eos, a quibus crucifixus est, surrexit Christus, et avertit faciem suam a Judæis, et convertit ad Gentes ; tanquam rogatur Deus propter reliquias Israël, et dicitur ei, « Propter David servum tuum, ne avertas faciem » Christi tui. » Si palea damnata est, frumenta colligantur. « Reliquiæ salvæ fiant³, » sicut dicit Isaïas. Et plane factæ sunt reliquiæ salvæ : inde erant duodecim Apostoli, inde plus quam quingenti fratres, quibus se Dominus demonstravit post resurrectionem⁴ ; inde tot millia baptizata, quæ pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum ponebant⁵. Ergo impletum est quod hic rogatus est Deus, « Propter David servum tuum, ne avertas faciem Christi » tui. »

XVIII. « Juravit Dominus David veritatem, et non » pœnitebit eum⁶. » Qui est, « Juravit ? » Promissum per se ipsum firmavit Quid est, « Non pœnitebit eum ? » Non mutabit. Non enim dolorem pœnitentiæ patitur Deus, aut in aliquo fallitur, ut velit corrigere in quo erravit. Sed quomodo hominem cum pœnitet, mutare vult quod fecit : sic ubi audis quia pœnitet Deum, mutationem ipsam spera. Aliter illam facit Deus, quamvis nomine pœnitentiæ appellet, aliter tu. Tu enim facis, quia erraveras : ille autem facit, quia vindicat, aut quia liberat. Mutavit regnum Saül, cum pœniteret eum, sicut dictum est. Et in eo ipso loco ubi Scriptura dicit, « Pœnituit eum : » ibi paulo post

¹ Act. 11, 37. — ² Ibid. 38. — ³ Isaï. x, 21. — ⁴ Rom. ix, 27, et I Cor. xv, 6. — ⁵ Act. 11, 41, et iv, 34. — ⁶ Psal. cxxxv, 11.

dicitur, « Non enim sic est ut homo, ut poeniteat eum¹. » Cum ergo mutat opera sua per incommutabile consilium suum; propter ipsam, non consilii, sed operis mutationem, poenitere dicitur. Hoc autem sic promisit, ut non mutaret. Quomodo dicitur et illud, « Juravit Dominus, et non » poenitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum » ordinem Melchisedech². » Sic et hoc quia ita promissum est, ut non mutaretur, quia necessario futurum erat et permansurum; dixit: « Juravit Dominus David veritatem, » et non poenitebit eum: Ex fructu ventris tui ponam » super sedem tuam. » Poterat dicere, « Ex fructu fe- » moris tui³. » Quare, « Ex fructu ventris, » voluit dicere? Et illud quidem si diceret, verum diceret: sed significan- tius dicere voluit, « Ex fructu ventris; » quia de foemina natus est Christus, quo vir non accessit.

XIX. Quid ergo? « Juravit Dominus David veritatem, » « Ex fructu ventris tui ponam super sedem tuam: Si » custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia » mea hæc quæ docebo illos; et filii eorum sedebunt us- » que in æternum super sedem tuam⁴. » Si filii tui cus- todierint, et filii eorum sedebunt in æternum. Meritum filiis parentes faciunt. Quid si filii ipsius custodirent, et filii eorum non custodirent? Quare ad meritum patrum promittitur beatitudo filiorum? Quid enim ait, « Si cus- » todierint filii tui, et filii eorum sedebunt in æternum: » (non ait, Si custodierint filii tui, sedebunt super sedem tuam; etsi custodierint filii eorum, et ipsi sedebunt super sedem tuam: sed ait, « Si filii tui custodierint, et filii » eorum sedebunt super sedem tuam:) nisi quia filios hic voluit intelligi fructus ipsorum? « Si filii tui, inquit,

¹ Reg. xv, 11 et 29. — ² Psal. cix, 4. — ³ Luc. 11, 7. — ⁴ Psal. cxxxi, 11, 12.

» custodierint legem meam, et mandata mea hæc quæ » docebo eos, servaverint filii tui; et filii eorum sedebunt » super sedem tuam: » id est, hic erit fructus ipsorum, ut sedeant super sedem tuam. Modo enim, fratres, omnes qui laboramus in Christo, omnes qui contremiscimus verba ipsius, qui quomodocumque conamur facere voluntatem ipsius, et ingemiscimus petentes ut adjuvet nos, quo impleamus quod jubet, numquid jam sedemus in illis sedibus beatitudinis, quæ nobis promittuntur? Non: sed mandata tenentes speramus hoc futurum. Ipsa spes tanquam in filiis dicta est: quia hominis in hac vita viventis spes filii sunt, fructus filii sunt. Propterea et homines excusantes avaritiam suam, dicunt se filiis suis servare quod servant; et nolentes dare inopi, pietatis nomine se excusant, quia filii eorum spes eorum sunt. Omnes homines enim qui secundum hoc sæculum vivunt: spem suam dicunt, filios generare et relinquere. Ideo nomine filiorum spem ipsam posuit, et ait, « Si custodierint filii tui testa- » mentum meum, et testimonia mea hæc quæ docebo » illos; et filii eorum sedebunt in æternum super sedem » tuam: » id est, tales fructus habebunt, ut spes eos non fallat, ut illuc veniant quo sperant se venturos. Modo ergo tanquam patres sunt, homines spei futuræ: cum autem adepti fuerint quod sperant, filii sunt; quia illud quod adipiscuntur, pepererunt et generaverunt in operibus suis. Et hoc illis servatur in posterum, quia et ipsa posteritas in filiis appellari solet.

XX. Aut si filios ipsos homines accipis, intellige et de ipsis dictum, « Si custodierint filii tui testamentum meum, » et testimonia mea hæc quæ docebo eos: » ut iste sit sensus, « Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc quæ docebo illos, et filii eorum, » id est, si custodierint: ut hic subdistinguas, et deinde